Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2859

Quelle:
Copyright:

obſervo, videri *Honorium* ſaltem *curſorie* in tota Biblia commentatum fuiſſe, cum tamen hodie Ἑξαμηνευτικα ejus nonniſi in *Hexameron*, in *Pſalmos*, in *Cantica*, in *Proverbia* et *Eccleſiaſten* nota ſint. Epiſtolas ſequitur Prologus: *Plerosque ueſania captos piget* &c. Index *Capitum* nobis nullus, neque diviſio in *Libros* IV. ſed in II. quorum poſterior orditur a C. *De Horis*. Finis totius Operis: *ut cum ianua tardantibus obcludatur ipſe ueſtris nuptiis intereſſe mereatur*. Adi et *Cod.* CCCXXVI. Adhaerent continuo eadem manu exaratae Solutiones III. Quaeſtionum, videlicet: *Qui ſint dies temporalitatis et eternitatis. Cur apoſtolus vocat dies malos. Cum omnes dies domini ſint, cur dies iudicii proprie dies domini dicatur.* Nihil haec pertinere ad *Gemmam Animae*, quivis videt. His ſubſcriptum:

Sueui ſcript } *ura* { *poſcas michi cęlica*
Qui legis hęc pl } *ura* { *dum non quęram mibi*
Hi michi ſanctarum loca contingant animarum.

Praeterea *Fol.* 1. p. 1. exhibetur manu Sec. XV. *Bulla Bonifacii* VIII. data anno CCC. de *Iubilaeo* ſingulis 100. annis celebrando, quae incipit: *Ad certitudinem preſentium et memoriam futurorum* &c.

DCCXCII.

377 Codex membraneus lat. Sec. XI. non niſi 6. nunc Folior. f. quod dolendum, pereleganter exaratus Fragmentum continet *Libri de divinis Officiis*, olim ab *Hittorpio* ſub *Fl. Alcuini* nomine *Colon.* 1568. c. aliis ejusd. argumenti p. 37. editi, ſed jam ab *Andr. Quercetano* in edit. *Opp. Alcuini Pariſ.* 1617. f. dubio notati, et nunc in edit. *Ratisbon.* 1777. T. II. P. 6. p. 461. e rationibus in *Monito praevio* adductis merito inter *Suppoſita* rejecti. Inchoat Fragmentum iſtud ab his C. 39. verbis: *preſentem uitam deſignat in qua ſuperfluos humores patimur. Caſula que ſuper omnia indumenta ponitur* &c. et definit in his C. 40. *Suſcipit interim ſacerdos a populo oblatam. ut ipſe qui eſt inter deum et ipſum* — —. Contuli partem priorem hujus *Fragmenti* cum edit. *Ratisbon.* in qua reſcribendum bis *Cereoſtata* (Candelabra) pro *Cereoſtrata*. Item: *Hec iubilatio — tempus ſignificat quando non erit* pro *non erat*. Denique in fine hujus *Cap.* 39. adtexit Noſter: *Offertorium uir erat in terra* (Hus). *Verba iſta iſtorici continentur in offertorio. uerba iob egroti. et dolentis continentur in uerſibus. Egrotus. cuius anhelitus non eſt ſanus. neque fortis. ſolet uerba imperfecta ſepius repetere. Officii auctor. ut affectant* (affectanter?) *nobis ad memoriam reduceret egrotantem iob. repetit ſepius uerba more egroti. In offertorio ut dixi non ſunt uerba repetita. quia iſtoricus ſcribens hiſtoriam non egrotabat.*

Atque